

Dolosis enim consiliis nichil dissimulatione aptius est. Quam ob rem velim vos unice com-
monitum, ut in omnes partes circumspecte vos agatis, nichil de priori diligentia remittatis.
Nostis mores, nostis tempora. Quid credat aut cui credat, nemo habet, et in tam dubiis
rebus periculosa est securitas, dampnosa facilitas, pernicioosa credulitas. Novi, quam
supereffluenti hec instillem, sed exacto amoris difficile modum persuaseris. De comite N. 5
quam sim exacerbatus, utinam dissimulare possem. Verum tamen, quia id non licet mihi
nolle, quod vos tantopere velle intelligo, imperavi dolori, extorsi animo, ut, cum ad
vos venero, ex vestra praecipue sententia et ducis B[ertholdi] consilio rem paciar componi.
Comitis N. causam etiam atque etiam vestrae fiducia commendatam esse volo, ne comes
N. in nostram iniuriam sub alieno nomine de illo triumphet. De mea cum domna impe- 10
ratrice disceptatione id solum volo ad praesens rogare, ut, ubi occasio aliqua dederit,
solitam ecclesiae nostrae opem et tutelam praetendere non gravemini.

120.

*König Heinrich IV. bestätigt die Zueignung einiger (in Brabant) gelegener Güter an die Kirche
zu Maastricht Seitens des Markgrafen Otto und seiner Gemahlin Adelheid.* 15

Kesselwald, 1062 Sept. 21.

Hdschr.: Liber privilegiorum s. Servatii zu Tongres fol 5b.

Gedr.: Bulletins de la commission royale d'histoire de Belgique ser. 3, tom. 9, 12. Stumpf 2611.

Ann.: Vergl. Einl. 80 Anm. 80. S. A. 149 Anm. 80.

In nomine sancte et individue trinitatis. Henricus divina favente clementia rex. 20
Notum sit omnibus Christi nostrique fidelibus tam posteris quam presentibus, qualiter
marchio Otto de Thuringia eiusque uxor Adela tale predium, quale habuerunt in villis
Werta, Thilesna, in nostra nostrorumque fidelium presentia, scilicet Annonis Coloniensis
archiepiscopi, Diedewini Leodiensis episcopi, Friderici ducis, Godefridi marchionis, Lam-
berti comitis de Brusela filiorumque suorum Winrici de Wirsel et aliorum multorum 25
cum omnibus appenditiis suis, hoc est utriusque sexus mancipiis areis edificiis ecclesiis
terris cultis et incultis agris pratis pascuis campis silvis venationibus aquis aquarumque
decursibus piscationibus molis molendinis viis et inviis exitibus et redditibus quesitis et in-
quirendis ac cum omni utilitate, que ullo modo inde provenire potest, ad ecclesiam sancti
Servatii in Traiecto ad usum confratrum ibidem deo sanctoque Servatio famulantium tradi- 30
derunt hac conditione, ut nullius prepositi ditioni subiaceat, sed decanus consilio fratrum,
cui voluerit de fratribus, et qui ydoneus ad hoc inventus fuerit, committatur. Pro quo idem
marchio eiusque coniunx A[dela] trecentas libras argenti a predictis fratribus acceperunt.
atque in precaria quatuor villas Oya, Mahlen, Masewic, Hese ad eorundem fratrum pre-
bendam pertinentes ea scilicet conditione, ut post obitum illorum ad pristinam possessionem, 35
hoc est ad usum fratrum, redirent, et ne quis advocatiam prefati predii sibi vindicare pre-
sumeret, nisi quem ipsi fratres communi consilio eligerent. Hanc igitur traditionem eius-
dem Ottonis marchionis sueque contectalis Adele assensu ac petitione supradicti Traiectensis
ecclesie ad usum fratrum nostra regia potestate confirmavimus et corroboravimus ea vide-